

Adversus Iudeos

Gioachino da Fiore

[p. 3] CONTRA vetustam duritiam Iudeorum iccirco nonnulli agendum extimant auctoritatibus Scripturarum quia, si eis adversantibus fidei nostre non esset qui resisteret ex adverso, daretur occasio inimicis crucis Christi insultandi de simplicitate credentium nomini christiano, et hi, qui imbecilles essent animo, paterentur naufragium circa fidem. Michi autem non modo propter istud eorum contentioni et perfidie obviare pro viribus voti est, verum etiam quia adesse sentio tempus miserendi eis, tempus consolationis et conversionis eorum.

Primo itaque producende sunt contra eos auctoritates prioris Testamenti, super eo quod negant Deum unum esse trinum in personis, deinde super eo quod negant incarnationem Filii Dei et, quod non minoris est periculi, spiritalem intellectum, statuentes litteram que occidit. Super quo tamen tunc melius convincuntur cum ostendimus [p. 4] in multis locis contrarietates Scripturarum seu etiam absurditates ipsius littere in qua ipsi confidunt. Igitur de prima questione, que est ceterarum principium, videamus. Negant Iudei trinitatem personarum et tamen que scripta sunt in Genesi de ipsa trinitate negare non possunt. Nam teste Moyse, in quo ipsi confidunt, Deus dicit: "Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram". Si una persona erat, non debuerat dicere: "Faciamus", sed: "Faciam"; non: "Ad imaginem et similitudinem nostram", sed potius: "Ad imaginem et similitudinem meam". Item in eodem libro: "Apparuit Dominus Abrae in convalle Manbre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi et adoravit in terram et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, sed afferam paucillum aque et laventur pedes vestri et requiescite sub arbore. Ponam bucellam panis et confortate cor vestrum. Postea transibitis; iccirco enim declinastis ad servum tuum. Qui dixerunt: Fac ut loquutus es". Et infra: "Cum surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; et Abraam simul gradiebatur deducens eos. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraam que gesturus sum, cum futurus sit [p. 5] in gentem magnam ac robustissimam et benedicende sint in eo omnes nationes terre? Scio enim quod precepturus sit filiis suis et domui sue post se, ut custodiant viam Domini et faciant iustitiam et iudicium, ut adducat Dominus propter Abraam omnia que loquutus est ad eum. Dixitque Dominus: Clamor Sodomorum et Gomorreorum multiplicatus est et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint an non est ita ut sciam. Converteruntque se inde et abierunt Sodomam; Abraam vero adhuc stabat coram Domino. Et appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cum impio?". Et infra: "Venerunt duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. Quos cum vidisset, surrexit et ivit obviam illis et adoravit pronus in terram et dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri et manete ibi. Lavate pedes vestros et mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum, ingressique domum illius fecit convivium. Coxit azima et comederunt". Et post aliqua: "Habes, inquiunt, hic tuorum quempiam, generum aut filios aut filias? Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac. Delebimus enim locum istum eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos". Et infra: "Cum esset mane,

cogebant ei angeli dicentes: Surge et tolle uxorem tuam et duas filias quas [p. 6] habes, ne et tu pariter pereas cum scelere civitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius et manum uxoris ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi, et eduxerunt eum posueruntque extra civitatem. Ibi loquuti sunt ad eum: Salva animam tuam. Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas. Dixitque Loth ad eos: Queso, Domine mi, quia invenit servus tuus gratiam coram te, et magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum et moriar. Est civitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parva, et salvabor in ea. Nunquid non modica est et vivet anima mea? Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua loquutus es. Festina et salvare ibi, quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc. Iccirco vocatum est nomen loci illius Segor. Sol egressus est super terram et Loth ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulphur, et ignem a Domino de celo, et subvertit has civitates et omnem circa regionem, universos habitatores urbium et cuncta terre virentia". [p. 7]

Si non trinitas ipsa Deus erat que apparuit Abrae in specie trium virorum, sed alius, ut fingitis, o Iudei, cur in occursum eorum ire et adorare dicitur Abraam, aut cur ei, quem singulariter vocat Dominum, non dicit: "Laventur pedes tui", sed: "Pedes vestri"; non: "Requiesce", sed: "Requiescite"; non: "Transibis", sed: "Transibitis", denique et cum subderet: "Iccirco declinastis", ut ipsos tres unum Deum esse monstraret, non a it: "Ad servum vestrum", sed: "Ad servum tuum", et ne forte dicens: "Ad servum tuum" uni persone loqui putaretur, destruit talem intellectum Scriptura, que subiungit: "Qui dixerunt, fac ut loquutus es"; et infra: "Cum surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam et Abraam simul gradiebatur ducens eos"; et ut ipsi tres unus Dominus esse intelligantur, protinus adiecit et ait: "Dixitque Dominus: Num celare potero Abraam que gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam et benedicende sint in eo omnes nationes terre?"; et rursus: "Clamor Sodomorum et Gomorreorum multiplicatus est et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint an non est ita ut sciam. Converteruntque se inde et abierunt Sodomam"? Verum hic fractus Iudeus resumit vires pertinacie sue propter illud quod sequitur: "Abraam adhuc stabat coram Domino", cum potius oporteret eum intelligere magnum misterium unitatis quo Pater est in Filio et Spiritu sancto, ita ut, quod facere una persona dicitur, hoc plerumque tota trinitas facere intelligatur. Denique qui ait: "Descendam", mentiri nequit et tamen duos ex tribus venisse Sodomam Scriptura denuntiat quia in eis et ille abiit cum quo in monte stetit Abraam, quia videlicet et in eo illi steterunt qui abierunt. Verum quod duo tantum et non tres abisse Sodomam scribuntur, illud cause est quod Filius et Spiritus sanctus missi referuntur, Pater autem, qui a nullo est, [p. 8] nusquam legitur missus. Inde est ut qui supra dicuntur viri, hic angeli dicantur ut magni consilii nuntii esse intelligantur. At ne propter hoc alienos eos asserat Iudeus a natura Patris, perpendat eis eandem reverentiam exhibitam esse a Loth que prius, cum essent cum illo uno qui visus est remansisse in monte, exhibita est tribus ab Abraam. Subsequente Scriptura ac dicente: "Dixitque Loth ad eos", hoc est ad duos angelos: "Queso, Domine mi, quia

invenit servus tuus gratiam coram te" et cetera; et infra: "Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas" et cetera, verum et hic quoque advertere oportet non solum percussus pro peccatis cecitate Iudeus, verum etiam Sabellianus et singularista hereticus, quod et singula persona vocetur Dominus, quod aperte ostendit Scriptura, ubi duabus descendentibus Sodomam de una que stetit in monte dicit quod Abraam stabat adhuc coram Domino, et quod due simul persone dicantur unus Dominus sicut hic, et quod tres simul persone dicantur unus Dominus, sicut patuit luce clarius supra, cum primo Abraam dicitur occurrisse in occursum virorum. Ut autem ostendatur apertius pluralitas personarum et omnis impietas oppilet os suum: "Pluit", inquit, "Dominus super Sodomam et Gomorram sulphur, et ignem a Domino de celo". Quid est enim quod Dominus a Domino pluere dictus est, nisi ut non solum Pater Dominus esse intelligatur, verum etiam et Filius et Spiritus sanctus, qui ab ipso Domino missi referuntur? Ad quod pertinet et illud quod dicitur in psalmo: "Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis", excepto quod ibi de Patre et Filio sermo est. Hic [p. 9] Dominus qui pluit Filius cum Spiritu sancto intelligendus est, a Domino scilicet qui est Pater. Hucusque communiter de trinitate.

Nunc agendum est specialius de unaquaque persona. Quod is quem nos Christicole vocamus Patrem sit verus Dominus et verus Deus, communis est nobis et vobis fides et una utrorumque confessio, quia qui dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt, ipse est utique cuius verbo celi firmati sunt et ipse cuius spiritu omnis virtus eorum; sed questio est de Filio et Spiritu sancto utrum sit in deitate Filius aut Spiritus sanctus; idem utrum sint alie due persone preter personam Patris et an inveniatur de eis aliquid scriptum in catholicis libris. Et quidem de Filio quod vere sit Deus multa scripta sunt in vestris codicibus, que iccirco non potestis capere, o Iudei, quia qui vere Deus esse et vere a Deo missus esse ostenditur in Scripturis, non Filius manifeste, sed Deus et angelus nominatur. Sed si is qui iccirco angelus dicitur, quia missus est a Deo magna misteria nuntiare, vere Deus et Dominus esse ostenditur, vere Deus et Dominus esse perhibetur, ea necessitate cogimur dicere esse eum de paterna natura, qua duos aut tres deos dicere ipsius Moysi, qui hoc dicit, auctoritate prohibemur. Neque enim alius dicit hoc, alius illud, sed ipse Moyses qui docet angelum Dei esse verum Deum, ipse dicit in Scripturis: "Audi, Israel, Deus tuus unus est", quatinus et illud intelligatur quod superius dictum est: vidisse scilicet Abraham tres viros, sed ipsos simul tres quasi unum hominem, immo non ut hominem sed sicut vere Dominum adorasse. Sed ad rem veniamus. [p. 10]

Affligente, inquit Scriptura, Agar, ancillam Saray, domina sua, fugam iniit. "Cum invenisset illam angelus Domini iuxta fontem aque, in solitudine que est in via Assur in deserto, dixit ad illam: Agar, ancilla Saray, unde venis aut quo vadis? Que respondit: A facie Saray domine mee ego fugio. Dixitque ei angelus Domini: Revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu ipsius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum et non numerabitur propter multitudinem". Et infra: "Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me". Et post aliqua: "Dixit Deus ad Abraham: Non tibi videatur asperum super puero et super ancilla tua; omnia que dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Ysaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancille faciam in gentem magnam, quia semen tuum est".

Angelus Domini non ipse Dominus intelligitur cuius angelus est, hoc est ipsa persona, sed alia. Absurdum est enim ut ipse qui angelus alicuius est sui ipsius nuntius intelligatur, et tamen ipsum quoque, qui angelus Domini dictus est, et Deum esse fatetur Agar, que vocavit nomen eius: "Tu, Deus, qui vidisti me", et Dominum esse, cum testatur ipsa multum iplicandi potestas, qua dicitur: "Multiplicans multiplicabo semen tuum". Alioquin si hic angelus Deus et Dominus non est, cur sibi hoc ipse Dominus ascribit, ita ut dicat in sequentibus Scriptura: "Dixit Deus ad Abraam: In [p. 11] Ysaac vocabitur tibi semen. Sed et filium ancille faciam in gentem magnam, quia semen tuum est"? Absurdum est enim ut se creaturam facere promittat, quod soli competit creatori. Non igitur hic angelus de aliorum est numero angelorum, sed ille est de quo dicit propheta: "Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos queritis et angelus testamenti quem vos vultis". "Ecce angelus Domini de celo clamavit dicens: Abraam, Abraam. Qui respondit: Adsum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognovi quod timeas Dominum et non pepercisti filio tuo unigenito propter me".

Cum Abraam propter ipsum Deum, qui eum temptaverat, decreverit occidere filium, quid est quod dicit ei angelus Domini: "Non pepercisti filio tuo, unigenito propter me", nisi quia ipse angelus Deus erat et unus cum Patre Deus?

"Cum venisset Iacob ad quendam locum et vellet in eo requiescere post solis ocubitum, tulit de lapidibus qui iacebant et supponens capiti suo dormivit in eodem loco. Viditque in sompnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens celum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam et Dominum innixum scale dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraam patris tui et Deus Yssaac: terram in qua dormis tibi dabo [p. 12] et semini tuo. Eritque germen tuum quasi pulvis terre. Dilataberis ad occidentem et orientem et septentrionem et meridiem et benedicentur in te et in semine tuo cuncte tribus terre". Et infra: "Surgens Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo et erexit in titulum fundens oleum desuper. Appellavitque nomen urbis Bethel, que prius Luza vocabatur". Et post multa: "Misit Iacob et Rachel et vocavit Liam in agrum ubi pascebat greges dixitque eis: Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius". Et infra: "Dixit angelus Domini ad me in sompnis: Iacob. Et ego respondi: Adsum. Qui ait: Vidi omnia que fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem et votum vovisti michi. Nunc ergo surge et egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tue". Et infra: "Loquutus est Dominus ad Iacob: Surge, ascende Bethel et habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum".

Ecce hic videt Dominum Iacob innixum scale dicentem sibi: "Ego sum Deus Abraam" et cetera, et in sequentibus asserit idem Iacob vidisse se angelum Domini in sompnis dicentem sibi: "Ego sum Deus Bethel ubi unxisti lapidem et votum vovisti michi". Si ergo ipse Deus est qui et angelus Domini, liquet quod Deus ipse qui loquebatur ad Iacob nequaquam Deus Pater intelligendus est, sed is qui missus est a

Patre pro salute mundi. Inde est quod in sequentibus loquitur Dominus ad Iacob, Pater scilicet iubens eum ascendere in Bethel edificare altare Deo qui apparuit sibi. "Loquutus est Dominus ad Moysen: Vade ascende de loco isto tu et populus tuus quem eduxisti de terra Egypti in terram pro qua iuravi Abraam, Ysaac et Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam et mittam precursorem tui angelum ut eiciam Chananeum et [p. 13] Amorreum et Etheum et Pherezeum et Eveum et Iebuseum et intres terram fluentem lacte et melle". Et post aliqua: "Ecce ego mittam angelum qui precedat te et custodiat in via et introducat ad locum quem paravi. Observa eum et audi vocem eius. Nec contempnendum putes quia non dimittet te cum peccaveris et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius et feceris omnia que loquor, inimicus ero inimicis tuis et affligam affligentes te, precedetque angelus meus et introducet te ad Amorreum et Etheum et Chananeum et Eveum et Iebuseum, quos ego conteram". Hec in Pentateuco Moysi. Porro in libro Iudicum de hoc ipso angelo scriptum est: "Ascendit angelus Domini de Galgala ad locum flentium et ait: Eduxi vos de Egipto et introduxi in terram pro qua iuravi patribus vestris et pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum, ita dumtaxat ut non feriretis fedus cum habitatoribus terre huius sed aras eorum subverteretis, et nolulistis audire vocem meam. Cur hoc fecistis? Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra ut habeatis hostes et dii eorum sint vobis in ruinam".

Superius dixit Dominus ad Moysen: "Vade et ascende tu et populus tuus quem eduxi de terra Egypti in terram pro qua iuravi ad Abraam, Ysaac et Iacob", protinusque adiunxit: "Et mittam [p. 14] precursorem tui angelum". Sed ne forte idem angelus parvipendente auctoritatis esse putaretur, cum rursus de eodem angelo mittendo ante eum in sequentibus loqueretur, adiecit et ait: "Observa eum et audi vocem eius. Nec contempnendum putes quia non dimittet cum peccaveris et est nomen meum in illo". Ut enim iste angelus, qui per Malachiam dictus est Dominator et angelus testamenti, unigenitus Dei Filius intelligeretur, ipse utique Filius qui iudicaturus est orbem, non inquit: "Dimittet cum peccaveris et est nomen meum in illo". Quod est autem nomen Domini, quod in illo est, nisi Deus? Quod si nomen Domini in illo est, liquet quod ut Deus est Pater, ita et Filius Deus, qui bene quoque castra Israel precedere dictus est, quod ipse est profecto cui in psalmo cantatur: "Vineam de Egipto transtulisti, eiecisti gentes et plantasti eam; dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius et implevit terram". Neque enim eiusdem esse auctoritatis cum Deo tantaverborum eminentia et idemtitate monstraretur si alienus a Domini natura et immensitate crederetur.

Cum enim in suprascriptis loquens Dominus ad Moysen iurasse se perhibeat Abraam, Ysaac et Iacob daturum se illis terram lacte et melle manantem, en in libro Iudicum loquitur angelus iste Domini ac dicit: "Eduxi vos de Egipto et introduxi in terram pro qua iuravi patribus vestris et pollicitus sum ut non facerem irritum pactum meum". Quis igitur angelus iste est nisi is qui dictus est superius "Deus Bethel", quique se promisit daturum semini Iacob terram istam? Verum quia angelus Domini dictus est, nequaquam Deus Pater, sed Filius intelligendus est. [p. 15]

"Venit angelus Domini et sedit sub quercu que erat in Ephra et pertinebat ad Ioas

patrem familie Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari ut fugeret Madian, apparuit ei et ait: Dominus tecum, virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nostantamala? Ubi sunt mirabilia eius que narraverunt patres nostri atque dixerunt: De Egipto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos et tradidit in manibus Madian. Respexitque ad eum Dominus et ait: Vade in hac fortitudine tua et liberabis Israel de manu Madian. Scito quod miserim te. Qui respondens ait: Obsecro, Domine mi, in quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse et ego minimus in domo patris mei. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum et percuties Madian quasi virum unum. Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da michi signum ut tu sis qui loqueris ad me, ne recedas hinc donec revertar portans sacrificium et offerens tibi. Qui respondit: Ego prestolabor adventum tuum. Ingressus itaque Gedeon coxit edum et de farine modio azimos panes, carnesque ponens in canistro et ius carniarum mittens in ollam, tulit omnia sub quercu et obtulit ei". Et paulo post: "Videns Gedeon quod esset angelus Domini: Eu michi, Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque Dominus: Pax tecum, ne timeas, non morieris". Perpendite vel hic, o Iudei, et desinite negare aliam quam Patris in deitate personam. Ecce angelus Domini loquitur Gedeon, [p. 16] et ipsum angelum Domini esse Dominum Scriptura testatur; denique Gedeon mittit ad prelium et se cum eo esse promittit et ad petitionem ipsius eius prestolatur adventum, recipitque de manu eius quod Dei est proprium, oblatam sibi hostiam sacrificii, et tamen cum Deus esse noscatur, ut Filius esse monstretur, non Pater, angelus Domini dictus est.

"Erat vir quidam de Saraa et de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem, cui apparuit angelus Domini et dixit ad eam: Sterilis es et absque liberis, sed concipies et paries filium". Et post aliqua: "Cum ascenderet flamma altaris in celum, angelus Domini in flamma pariter ascendit. Quod cum vidissent Manue et uxor eius, proni ceciderunt in terram et ultra non apparuit eis angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum esse Domini et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur quia vidimus Deum. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, sed nec ostendisset nobis hec omnia, neque que sunt venturadixisset". Hic quoque uxori Manue et ad ultimum ipsi Manue angelus Domini apparet et tamen et angelum Domini Manue intellexit et ipsum angelum Domini Deum esse testatus est dicens: "Morte moriemur quia vidimus Deum". Quod si dicis: Unde potuerunt antiqui patres intelligere Filium?: profecto unde potuerunt intelligere Patrem. Qui enim, illuminati Spiritu sancto, potuerunt intelligere Deum Patrem, etiam potuerunt, eadem gratia illuminati, intelligere Deum Filium, quin immo et Spiritum sanctum, totam videlicet trinitatem. [p. 17]

Ecce, ex his et similibus testimoniis veritatis excluditur singularis intellectus, a fide credentium, nec propterea quia creditur unus Deus negatur esse Deus angelus testamenti qui missus ostenditur a Patre, quia Abraam, ut supra monstratum est, tres vidit et tres quasi unum, immo ut vere unum adoravit. Quod si forte quia Scriptura non vocat Dei Filium angelum istum, qui utique et Deus et Dominus dictus est, esse Christum Dominum non putatis, non multum interest probare me velle hoc ad

presens, cum utique non ad hoc simpliciter probandum his testimoniis usus fuerim, sed ad hoc tantum ut excludatur singularitas personarum. Probabitur autem melius, annuente Deo, esse videlicet et Christum Deum, cum de eius incarnatione inferius tractare ceperimus. Nunc locus est agere de Spiritu sancto quod vere ipse sit et quod non tacuerint de eo sancti Dei prophete.

"Dixit Dominus ad Moysen: Congrega michi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quod senes populi sunt ac magistri, et duces eos ad hostium tabernaculi federis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi et auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi et non tu solus graveris". Infra: "Descendit Dominus per nubem et loquutus est ad eum auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt nec ultra cessaverunt. Remanserunt autem in castris duo viri, super quos requievit spiritus. Namet ipsi descripti fuerant et non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer et nuntiavit Moysi dicens: Eldaad et Medad prophetant in castris. Statimque Iosue, filius Nun, minister Moysi et electus e pluribus ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. Et [p. 18] ille: Quid, inquit, emularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet et det ei Dominus spiritum suum?"

"Descendit Sanson cum patre suo et matre in Thammatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sevus rugiens et occurrit eis. Irruit autem spiritus Domini in Sanson et dilaceravit leonem, quasi edum in frusta discerperet". Infra: "Cum venisset Sanson ad locum maxille et Philistiim vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus Domini super eum, et, sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita et vincula quibus ligatus erat dissipata sunt et soluta".

Dixit Samuel ad Saul: "Venies in collem Domini ubi est statio Philistinorum et, cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et timpanum et tibiam et citharam ipsosque prophetantes. Et insiliet in eum spiritus Domini, et prophetabis cum eis et mutaberis in virum alium". Et infra: "Ecce cuneus prophetarum [p. 19] obvius ei, et insiluit in eum spiritus Dei, et prophetavit in medio eorum". Et post aliqua: "Insiluit spiritus Domini in Saul cum audisset verba nuntiorum Iabes et iratus est furor eius nimis".

"Tulit Samuel cornu Dei et unxit David in medio fratrum eius et directus est spiritus Domini in David a die illa et in reliquum. Surgensque Samuel abiit in Ramatha. Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino". Dixit Abdias ad Heliam: "Dicis michi ut dicam Domino meo: "Adest Helias. Cumque recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro; ingressus nuntiabo Achab et non inveniet te et interficiet me".

"Videntes filii prophetarum qui erant in Iherico de contra signum quod fecit Heliseus, dixerunt: Requievit spiritus Helie super Heliseum. Et venientes in occursum eius, adoraverunt eum proni in terram, dixeruntque illi: Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire et querere Dominum tuum, ne forte tulerit eum spiritus Domini et proiecerit in uno montium aut in una vallium". [p. 20]

"Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini".

"Quis audivit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit eum, et docuit eum semitam iustitie, et erudivit eum scientiam et viam prudentie ostendit illi?".

"Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, ad annuntiandum mansuetis misit me".

"Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filie vestre, senes vestri sompna sompniabunt et iuvenes vestri visiones videbunt; sed et super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo et prophetabunt. Et dabo prodigia in celo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem ante quam veniat dies Domini magnus et terribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit".

In his que hactenus notata sunt testimonia veritatis satis aperte ostenditur veritas personarum, quandoquidem et is qui dicit in principio: "Fiat lux" et cetera his similia, non nisi Deus Pater intelligendus est. Ipse enim dixit et facta sunt, et utique verbo suo dixit; et is qui tam frequenter angelus Domini dictus est, et nichilominus, Scriptura teste, Dominus et Deus et creator esse monstratur, Filius profecto intelligendus est, qui in assumpta forma fragilitatis nostre mittendus erat in mundum; et spiritus Domini, qui talia operatus [p. 21] est in prophetis qualia nec homo nec angelus poterat operari, ipse est quem nos confitemur tertiam in deitate personam. Quia vero audientes vos, Iudei, sed non intelligentes illud Moysi: "Audi Israel, Deus tuus unus est", abhorretis penitus et detestamini confessores trinitatis, nosque velud cultores alienorum deorum seductos asseritis et delusos, que causa maxime scandalizat vos et alienos efficit a fide Christi, oportet nos ostendere in hoc loco quam pura et catholica sit in Christo confessio fidei christiane, si quomodo per hoc intelligatis ipsum esse illud semen Abrae in quo, deleta multitudine idolorum, benedictionem accepture erant omnes gentes et de quo dictum est in psalmo: "Benedicentur in ipso omnes tribus terre, omnes magnificabunt eum", quod solus facere potuit qui de celo descendit. Igitur attendant filii quod non est datum percipere patribus eorum, quia et nos Christiani id intelleximus quod non fuerunt digni intelligere patres nostri. Nec mirum cum legamus in Pentateuco Moysi ob incredulitatem suam corruisse patres in deserto, filios vero, miserante Domino, introisse pro patribus in terram promissionis. Audite ergo et intelligite quam sit auro purior fides nostra et cognoscite fidelem esse magistrum eum qui nos vocavit de tenebris ad admirabile lumen suum. Adoravit Abraam Deum unum, Deum qui creavit cuncta ex nichilo, Deum qui fecit celum et terram, et nos ipsum adoramus, [p. 22] colimus, veneramur; ipse enim fecit nos et non ipsi nos. Credimus autem ei in omnibus que dicit tamquam Domino universorum, credimus et prophetis eius qui loquuti sunt in nomine eius. Audio Moysen dicentem michi: "Audi, Israel, Deus tuus ignis consumens est". Audio David dicentem: "Si ascendero in celum, tu illic es; si

descendero in infernum, ades". Audio Salomonem id ipsum apertius proferentem: "Si celum et celi celorum te capere non possunt, quanto magis domus hec quam edificavi". Audio et Ysaïam eadem de Altissimo sub admiratione proferentem: "Quis mensus est pugillo aquas et celos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terre et libravit in pondere montes et colles in statera?". Et infra: "Cui ergo similem fecistis Deum aut quam imaginem imponetis ei? Nunquid sculptile conflavit faber aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius?". Et post pauca: "Cui assimilastis me et adequastis me? Dicit sanctus. Levate in excelsum oculos vestros et videte quis creavit hec". Et infra: "Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terre, non deficiet neque laborabit, nec [p. 23] est investigatio sapientie eius". Hoc et David dicit: "Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia". Ex his ergo et aliis testimoniis Scripturarum intelligimus supra modum capacitatis nostre inextimabilem esse Deum, ita ut, cum ei imponitur humana vel angelica forma vel aliquid simile humane fragilitatis, totum sit non carnaliter set spiritaliter intelligendum. Super quo vos quoque, o Iudei, nobiscum in hac parte concordare non dubito. Quo circa cum a nobis Christianis habere Deum Filium predicatur, nichil humanum aut corporeum fingere debetis in corde vestro, quia nos ut ineffabilem virtutem credimus Deum Patrem, ita et Filium eius non nisi Dei virtutem esse pensamus, et illam utique virtutem de qua dicit psalmista: "Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientie eius non est numerus". Nec putare debetis novam fidem tradidisse nobis sanctos evangelistas que sit aliena a prophetis et contraria fidei patrum vestrorum, sed quod illi in enigmate sunt loquuti, hoc isti nobis manifestius tradiderunt. Et quid nobis tradiderunt? "In principio erat Verbum et Verbum erat apud eum, et Deus erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nichil". Hec de Verbo Dei quod vos cognominatis dicitur. Quid de Spiritu sancto, quem vos dicitis ruam? "Ego, inquit Christus, rogabo Patrem, et [p. 24] alium Paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis quem mundus iste non potest accipere". Quod si forte de hoc ipso turbatur cor vestrum, putantes hec contraria traditionibus vestris, tunc iam non arbitror remanere vobis locum contradicendi manifestissime veritati, cum vobis ostendemus de hoc Verbo et de hoc Spiritu loquutos fuisse patribus vestris sanctos Dei prophetas. Ecce, enim, de hoc Verbo et de hoc Spiritu longe ante precinerat psalmista David: "Verbo Domini celi firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum". De hoc Verbo et de hoc Spiritu dixit Ysaïas propheta: "Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini loquutum est. Vox dicentis: Clama! Quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fenum, et cecidit flos, quia spiritus Dei nostri insufflavit in eo. Vere fenum est populus; exsiccatum est fenum, et cecidit flos; verbum autem Domini manet in eternum".

Et rursus de hoc Verbo idem Ysaïas: "Quomodo, inquit, descendit imber et nix de celo et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram et infundit eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti, sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quecumque volui et prosperabitur in his ad que misi illud". Si igitur Verbum quod egreditur de ore Domini aliquid facere dictum est, immo non aliquid, sed quecumque voluit Deus, quis audet dicere Verbum Domini, quod manet in eternum, non esse rem viventem et

omnipotentem, immo prebentem vitam omnibus qui suscipiunt illud? Quod si queris a me quam formam habet Verbum istud, dic tu michi quam formam Deus Pater habet, cuius est ipsum Verbum, et ego tibi assignabo formam Verbi eius, quod utrumque sicut impossibile ita et ineffabile est. Sufficit michi credere quod Deus ipse [p. 25] testatur; non est meum discutere arcana maiestatis ipsius. Hoc solum scire vos cupio, o Iudei, quod illum verum Deum colimus nos Christiani, illum nos colere confitemur, quem coluit Abraam, et Verbum eius quo celi firmati sunt, Verbum scilicet quod procedit ineffabiliter ex ore eius, esse dicimus Filium Dei, dicente Salomone de eo qui potest omnia, in libro parabolarum suarum: "Quod nomen est eius, et quod nomen Filii eius, si nosti? Omnis sermo Domini ignitus clipeus est sperantibus in se". Igitur quod vos Iudei vocatis dibur, ipsum est quod nos dicimus Filium, et quod vos vocatis rua, ipsum nos dicimus Spiritum sanctum. Non igitur, sicut vos putatis, alienos nos Christiani predicamus deos, sed unum Deum colimus quem coluit Abraam, ipsum scilicet cum Verbo suo et Spiritu sancto, quamvis non frustra ad insinuandam hanc trinitatem personarum dixerit Moyses: "Scito et cogita in corde tuo Ky Adonay hu ha Heloym", quod est dicere: quod Dominus ipse est Deus, ut per hoc quod dixit: hu ha unus intelligatur in natura, et per hoc quod dixit Heloym trinus credatur in personis, Pater scilicet et Verbum et Spiritus sanctus.

Quod si forte, audito nomine Verbi Dei, scandalizat te prolatio huius verbi materialis, quod procedit ex ore nostro, pro eo scilicet quod vox prolata perit, puto quod hoc ipsum verbum quod loquimur male intellexisti, id ipsum prave extimans esse verbum quod vocem; at non esse ita ratio apertissima docet. Omnis etenim vox que caret intellectu sonus quidem est, sed verbum non est, et ob [p. 26] hoc prolata perit ipsa: et post ipsam nullum remanet verbum. Si autem quod dicitur non caret intellectu, etsi vox ipsa perit que pervenit ad aures exteriores, verbum tamen quod voce est intimatum ipsa scilicet sapientia que procedit ex ore sapientis plene manet in corde loquentis et in corde audientis, dicente Moyse: "Prope est verbum in corde tuo", et psalmista: "Eructavit cor meum verbum bonum". Si enim, Scriptura teste, et in corde est verbum et de corde procedit, tunc posset in hamine perire verbum cum, deficiente in eo memoria, traderetur quod sapitur oblivioni. Igitur verbum bonum ipsa sapientia est, teste psalmista qui dicit: "Os iusti meditabitur sapientiam". Sed hoc solum differt inter nomen verbi et nomen sapientie quod differre videtur inter nomen fluminis et nomen aque: siquidem aqua quelibet aqua est, et flumen nichilominus aqua est, sed in hoc tantum differt quod aqua potest dici et que fluit et que non fluit, fluvius autem non dicitur nisi sit aqua fluens. Quemadmodum ignis dici potest et qui flamma est et qui flamma non est, flamma autem dici non potest nisi illa corpulenta substantia que nascitur, ut sic dicam, de igne, eodem modo sapientia dicitur et que in corde latet et que de corde procedit, verbum autem non dicitur nisi sapientia que de corde procedit, induens, ut ita dixerim, in ore vocem, ut possit per auditum concipi in cordibus auditorum. Verum hec iccirco dico ut, exempli gratia, intelligatis esse Verbum Dei ipsam Sapientiam Dei Patris, que iccirco dicta est Verbum Dei quia, qui dixit et facta sunt, Verbo suo dixit quod dixit et Verbo suo fecit quod fecit, quandoquidem [p. 27] nichil legitur fecisse nisi quod dixit ut fieret. Sed cum rursus dicat Scriptura: "Dominus sapientia fundavit terram, et sapientia ipsius eruperunt abissi", non potest aliud intelligi: "Sapientia qua fundavit terram et qua eruperunt abissi" et aliud:

"Verbum quo celi firmati sunt", sed idem. Quod si forte arbitramini a me esse conficta hec verba, non autem sic credere Christianos nec ita nobis traditum ab apostolis Christi, audite apostolum Paulum natum de gente vestra, sed non in ignorantia vestra relictum, concordantem cum psalmista ac dicentem: "Nos predicamus Dei Filium, Dei virtutem et Dei sapientiam". Quod si eum, quem Iohannes nominat Verbum Dei, Paulus esse testatur Dei Virtutem et Dei Sapientiam, liquet quod ille est quem nos dicimus Filium Dei, quem psalmista eque nominat Dei Virtutem et Dei Sapientiam dicens ita: "Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapientie eius non est numerus". Quod si dicitis: Que causa est ut Sapientia Dei dicatur Filius?: illa utique est qua eam ex Deo Patre natam esse Scriptura testatur, quin immo ipsamet loquens de se ipsa testimonium sibi perhibet in Scriptura divina, cui ea necessitate fidem tenemini adhibere, qua ipsi quoque verba ipsa non humano spiritu sed divino edita esse testamini. Loquitur ergo ipsa de se, si forte verbis eius, de se sibi ipsi testimonium perhibentis, credere velitis et suscipere spiritum eius, qui est vite, et audire verba eius impropertis vobis duritiam vestram ac dicentis: "Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum et ostendam vobis verba mea. Quia vocavi, et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis [p. 28] advenerit, cum irruerit repentina calamitas et interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia" et cetera que sequuntur. Verum hec contra eos qui non audierunt vocem eius. Quid de audientibus? "Qui, inquit, me audierit, absque terrore quiescet et abundantia perfruetur, malorum timore sublato".

Audite ergo et intelligite, et primoquidem quod dicit de se ipsa, ut intelligatis aperte Dei prolem esse Sapientiam, deinde erudtricem omnium et creatricem cum Deo omnium creaturarum. Sic enim ipsa dicit in eodem libro: "Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quam quicquam faceret a principio. Ab eterno ordinata sum et ex antiquis, ante quam terra fieret. Necdum erant abissi, et ego concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constituti erant, ante omnes colles ego parturiebar; adhuc terram non fecerat et flumina et cardines orbis terre. Quando perpetrabat celos aderam; quando certa lege et giro vallabat abissos, quando ethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terre, cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies ludens coram eo, omni tempore ludens in orbe terrarum, et delitie mee esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me: Beati qui custodiunt vias meas". Certe audistis, o Iudei, conceptam et genitam ante omnia ab ipso qui fecit omnia sapientiam assistentem sibi et cum ipso omnia componentem, ut non putetis nos errare cum Filium Dei esse dicimus Sapientiam Dei, quia nos alium Filium habere Deum nec credimus nec fatemur, sed ipsam Dei Sapientiam, que omnia que supra scripta sunt loquitur de se ipsa. Igitur Dei Filius ipsa Sapientia Dei est, qui tamen pro diversis effectibus diversa est sortitus vocabula. Dicitur [p. 29] enim Sapientia quia novit omnia ante quam fiant; dicitur verbum, quia per ipsum innotuit Deus generi humano; dicitur virtus, quia omnia potest; dicitur brachium, quia verbo ipso Domini celi

firmitati sunt; dicitur manus, quia per eum facta sunt omnia; dicitur fons vite, quia sitiens Deum populo fluentia gratiarum infundit; dicitur lux, quia illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; dicitur angelus, quia missus est pro mundi salute, et sic de ceteris. Verum hec iccirco dicimus ut sciatis quid nos esse credamus Filium Dei, ne nos aliquid novum credere arbitremini nomine Filii Dei quod non sit scriptum in codicibus vestris, et per hoc patientes scandalum in fide nostra tardetis adhuc accedere ad convivium Dei. Non ignoramus, o Iudei, quod, quando nos superius loquebamur vobis de verbo Dei dicentes ipsum Verbum esse Filium Dei, scandalum erat vobis forma ipsa corporalis, secundum quam confitemur Dei Filium natum esse secundum carnem de Virgine Maria; et primo quidem admiramini quod eum dicimus natum de Deo et ex Virgine Matre, quod eum dicimus Deum et hominem, quasi impossibile sit unam eandemque personam esse hominem et Deum, esse tam magnum et tam parvum, esse eternum et temporalem. Deinde abhorretis vel audire voluisse tantam maiestatem visitare corpus femineum et infirmi corpusculi contineri cubili. Oportet autem vos primo intelligere quid de hoc teneat fides nostra, deinde hoc ipsum asserere testimoniis Scripturarum. Nos credimus in utero Virginis sine viri semine formatum Christum et ab ipsa prima hora vel momento conceptionis sue adhesisse illi dibur, hoc est Verbum Dei, ac si flamma ignis adhereret candele, quin immo, ut vobis loquar de vestro, sicut flamma ignis adhaerebat illi rubo qui ardebat in oculis Moysi et non comburebatur. Atque ex hoc iam cepit [p. 30] esse una persona Dei et hominis, ac si una arbor oleastri et olive inserte in eo manu artificis et unione coniuncte, ita ut Deus et homo unus sit Christus. Et quod ita sit, non a philosophis huius mundi et a sapientibus seculi, sed ab ipsis prophetis vestris, qui infra scripti sunt, certa perpendimus documenta. Sane de bonitate et misericordia Dei nostri, qua non est dedignatus visitare misericorditer corpus femine et induere ineffabiliter limum nostrum, non necesse est plura loqui, quia, si credimus Dei spiritum visitare prophetas in utroque sexu, homines utique seminantes et concipientes immundum semen ad propagationem carnis, noli tu mirum ducere si dignatus est visitare aulam virginalem ad formandam mansionem sancti corporis Filio Dei, maxime ut compleretur illud quod dixit David: "Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terre". Que enim potest esse maior laus cuilibet potestati, quam si se exhibeat humilem quasi unum de servis suis? Utique etsi digna maiestas, timorem tamen incurrit, non amorem; humilitas tamen etsi despecta, amorem plus ingerit quam timorem. Quod si maius mandatum est diligere Deum et ipsum est quod commendat precipue Scriptura veritatis, quod melius opus esse potuit quam illud per quod homines optinent diligere Deum? Igitur et ad Dei laudem et ad nostram pertinuit felicitatem ut verus Deus et verus homo nasceretur de Virgine, et quod ita esset futurum, [p. 31] testatus est Dei spiritus in Scripturis prophetarum, ex quibus aliqua certiora capitula huic sunt opusculo subnectenda. "Speciosus forma pre filiis hominum" et cetera; "Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua et pulcritudine tua intende, prospere" et cetera; "Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam" et cetera; "Sagitte tue acute, populi sub te cadent in corde inimicorum regis, sedes tua, Deus, in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo letitie, pre consortibus tuis mirra et gutta et cassia a vestimentis tuis, a domibus eburneis" et cetera; "Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato" et cetera; "Audi,

filia, et vide et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus".

Eia nunc, Iudee, dic michi: Quis est iste homo qui est speciosus forma pre filiis hominum? Quin immo, quia non necesse est ut tu dicas quod Scriptura testatur, qui enim unctus esse describitur esse [p. 32] Messias non dubitatur, illud magis dicas: Quomodo, si non est Deus et homo, et Deum illum psalmista vocat dicens: "Sedes tua, Deus, in seculum seculi", et tamen is qui Deus est a Deo suo unctus esse narratur? Denique, ut ipsum qui unctus est secundum humanitatem Deum verum esse non dubites, audisti quid de eo dictum sit eidem regine: "Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus". "Descendet sicut pluvia in vellus" et cetera; "Orietur in diebus eius iustitia" et cetera; "Et dominabitur a mari usque ad mare" et cetera; "Et adorabunt eum omnes reges", et cetera; "Quia liberabit pauperem a potente" et cetera; "Et vivet et dabitur ei de auro Arabie" et cetera; "Erit firmamentum in terra in summis montium" et cetera; "Sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius; et benedicentur in eo omnes tribus terre" et cetera.

Cum ille Salomon, qui regnavit in Ierusalem secundum carnem, obscurum exitum habuisse legatur, vide quis et quantus sit iste qui descensus erat sicut pluvia in vellus et quem adoraturi sunt omnes reges et cuius nomen benedictum asseveratur in secula, presertim cum et ante solem permanere dicatur nomen eius; profecto ille est qui dicit in Evangelio: "Ante quam Abraam fieret, ego sum". "Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis" et cetera; "Tecum principium in die virtutis tue" et cetera; "Iuravit [p. 33] Dominus, et non penitebit eum" et cetera; "Iudicabit in nationibus" et cetera.

Si hoc non de Christo dicit David, sed, sicut fingunt aliqui, de Saule, quomodo in sequentibus dicitur: "Iuravit Dominus, et non pertinebit eum: tu es sacerdos in eternum", presertim cum dicat ipse Dominus de Saule: "Penitet me quod constituerim Saulem regem".

"Lapidem, quem reprobaverunt edificantes" et cetera. "A Domino factum est istud" et cetera; "Hec est dies quam fecit Dominus" et cetera; "O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prosperare. Benedictus qui venturus es in nomine Domini". Si Dominus iste tam magnus est ut possit salvos facere invocantes, et ipsemet venturus est in nomine Domini, frustra sic confitentur Iudei unum Dominum et unum Deum, ut per hoc velint negare Messiam esse Dominum et salvatorem mundi, quia Pater Dominus et ipse Dominus et ambo simul unus Dominus. [p. 34]

"Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Hemmanuel". Et post aliqua: "Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester et ipse terror vester; et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et in petram scandali erit duabus domibus Israel, et in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi et cadent et conterentur et irretientur et

capientur. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Iacob, et prestolabor eum".

"Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia amodo et usque in sempiternum.

Zelus Domini exercituum faciet hoc. Verbum misit Dominus in Iacob et cecidit in Israel". [p. 35]

"Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini" et cetera; "Non secundum visionem oculorum iudicabit neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in equitate pro mansuetis terre et percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium, et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorum renum eius. Habitabit lupus cum agno, et pardus cum edo accubabit". Et infra: "In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum eius gloriosum".

"Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, neque audietur foris vox eius. Calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; et legem eius insule exspectabunt".

"Rorate, celi, desuper et nubes pluant iustum; aperiatur terra et germinet Salvatorem, et iustitia oriatur simul. Ego Dominus creavi eum". [p. 36]

"Audite, insule, et attendite, populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris mee recordatus est nominis mei et posuit os meam quasi gladium acutum, in umbra manus sue protexit me et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me et dixit michi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi; ergo iudicium meum cum Domino est, et opus meum cum Deo meo. Et nunc, dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Iacob ad eum, et Israel non congregabitur, et gloriatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est ut sis michi servus ad suscitandas tribus Iacob et feces Israel convertendas: ecce dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terre".

"Attendite ad me, populus meus et tribus mea; me audite, quia lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos iudicabunt, me insule exspectabunt et brachium sustinebunt". "Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium

gentium, et videbunt omnes fines terre pariter salutare Dei nostri".

"Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic ingloriosus erit inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo viderunt, et qui non [p. 37] audierunt contemplati sunt. Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitiens. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum; despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere langores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostre super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum de angustia et iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit? Quia abscisus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus inventus est in ore eius. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longevum et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur. In scientia sua iustificavit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portavit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est, et ipse [p. 38] peccatum multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit ut non perirent".

"Pro eo quod fuisti derelicta et odio habita, et non erat qui pertransiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem et generationem, et sugges lac gentium et mamilla regum lactaberis et scies quia ego Dominus salvans te et redemptor tuus, fortis Iacob. Pro ere adferam aurum et pro ferro adferam argentum et pro ligno es et pro lapidibus ferrum, et ponam visitationem tuam pacem et prepositos tuos iustitiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio non erit in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lune illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis mee, opus manus mee ad glorificandum. Minimus erit in mille et parvulus in gentem fortissimam. Ego Dominus, in tempore eius subito faciam istud. Spiritus Domini super me, eo quod [p. 39] unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritos corde et predicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem, ut predicarem annum placabilem Domini et diem ultionis Dei nostri, ut consolarer omnes lugentes et ponerem fortitudinem lugentibus

Syon et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu meroris, et vocabuntur in ea fortes iustitie plantatio Domini ad glorificandum". "Propter Syon non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur et videbunt gentes iustum tuum et cuncti reges inclitum tuum".

"Dicite filie Syon: Ecce Salvator tuus venit, ecce merces eius cum eo, et opus illius coram ipso. Et vocabunt eos populus sanctus redempti a Domino; tu autem vocaberis civitas quesita et non derelicta. Quis est iste qui venit de Edon tinctis vestibibus de Bosra?" et cetera.

"Ante quam parturiret peperit, ante quam veniret partus eius peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die una, aut parturietur gens simul, quia parturivit et peperit Syon filios suos? Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus, si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus". [p. 40]

Etsi iuxta consuetudinem lingue nostre nequaquam viri parturire dicantur, sed femine, hic tamen propheta indifferenter se accipere ostendit cum dicit: "Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus; si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero?". Verum hoc pro filiis adoptionis dictum esse videtur. Hoc est pro illis quos voluntarie genuit Deus verbo veritatis, super quorum generatione arguit sermo Domini Syon que putabat se parturisse omnes filios suos quando Christus venit in mundum, et ignorabat quod in loco ubi dictum erat eis: "Non plebs mea vos", ibi vocarentur "filii Dei vivi"; verum quia ille unus qui precedit magnitudine et gloria omnem creaturam distinctus est a numero aliorum, merito de eo precesserat sermo dicens per prophetam: "Ante quam parturiret peperit, ante quam veniret partus eius, peperit masculum": nimirum, quia ipse est, ut ait Iohannes, "principium creature Dei", utpote per quem omnia facta sunt.

"Ve pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascue mee, dicit Dominus: ideo hec dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, eiecistis eos et non visitastis eos: ecce ego visitabo super [p. 41] vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eieceram eos illuc, et convertam eos ad rura sua, et crescent et multiplicabuntur, et suscitabo super eos pastores, et pascent eos; non formidabunt ultra et non pavebunt, et nullus queretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum; et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter, et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster".

Reprobantur pastores veteres, filii Aaron, et suscitantur pro eis apostoli et episcopi; quibus dictum est in Petro, principe apostolorum: "Si diligis me, pasce oves meas". Verum ut hoc fieri posset secundum Scripturas, venit David germen iustum, qui est "rex et sacerdos secundum ordinem Melchisedec". Quod autem dicitur: "In diebus

illis salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter", vel ideo dictum est quia in Iuda intelliguntur confessores veritatis, vel quia dies Christi intelligendi sunt a primo Christi adventu usque ad secundum, et infra istos dies "salvabitur Iuda et Israel habitabit confidenter".

"Hec dicit Dominus Deus: Sumam ego de medulla cedri sublimis et ponam de vertice ramorum eius tenerum, dstringam [p. 42] et plantabo super montem excelsum et eminentem. In monte sublimi Israel plantabo illud, et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam, et habitabunt sub ea omnes volucres, et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit, et scient omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile et siccavi lignum viride et frondescere feci lignum aridum".

Cedrus sublimis est Deus Pater; medulla eius Filius et Spiritus sanctus; quia vero incarnationem Christi Spiritus sanctus operaturus erat, dicit se sumere de medulla cedri sublimis et ponere de vertice ramorum eius, dstringere tenerum et plantare in monte sublimi Israel, quia Verbum Dei Patris cum semine patriarcharum vivendo distrinxit ut esset una persona Dei et hominis Christi Ihesu. Verum ut hoc fieri posset, servata utriusque veritate nature, facta est velud quedam plantatio in utero sacre Virginis, que propter excellentiam vite dicta est mons sublimis Israel, nimirum quia eo sublimior quo apud semetipsam humilior; erupit autem quod plantatum est in germen nascendo, crevit predicando et producendo ex se ramos ad protectionem fidelium, qui velud quedam volatilia celi nidificarent sub umbra frondium illius, procreando pullos spiritales in Ecclesia Dei.

"Tu, rex, videbas et ecce quasi statua grandis" et cetera. Et infra: "Videbas ita, donec abscisus est lapis sine manibus et percussit [p. 43] statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, es, testa argentum et aurum et quasi in favillam redacta, que rapta est a vento, nullusque locus inventus est eis; lapis autem, qui percusserat statuam, factus est magnus mons et implevit universam terram". Et infra: "In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus celi regnum quod in eternum non dissipabitur, et regnum eius populo alteri non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hec et ipsum stabit in eternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscisus est lapis sine manibus et comminuit testam et ferrum et es et argentum et aurum. Deus magnus ostendit regi que venturas sunt postea; et verum est sompnum et fidelis interpretatio eius".

De regnis designatis in statua diversi pro tempore diversa dixerunt. Nos autem, qui iam multa colligimus de fine mundi et consummatione visionis, arbitramur in auro accipi regnum Nabuchodonosor, [p. 44] quod, licet mutatis regibus de loco et loco, perseveravit tamen in oriente usque ad Darium, quem expugnavit Alexander. In argento vero regnum ipsius Alexandri et successorum eius usque ad tempora Machabeorum. In ere Romanum imperium quod imperavit toti mundo. In ferro regnum Sarracenorum, per quod domata sunt et domantur cotidie multa regna. Sed inter hec inchoatum est regnum Christi, qui sine humanis viribus de celo descendit, per quod ad ultimam oportet destrui omnia regna ista, ut ipsum solum dilatetur in

terra et dilatatum undique maneat in eternum.

"Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis eius in fornacem et excussit flammam ignis de fornace et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem". Et infra: "Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit et surrexit propere et ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medio ignis compeditos? Qui respondentes regi dixerunt: Vere, rex. Respondit rex et ait: Ecce video viros quattuor solutos et deambulantes in medio [p. 45] ignis, et nichil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei".

Hic est ille angelus, qui supra Deus et Dominus dictus est, nimirum quia Filius Dei, vel certe quia Filius videri non poterat in maiestate sua is qui a rege visus est, nequaquam ipse Filius, sed similis eius dictus est, ut in forma illa visibili invisibilis Filius intelligeretur. Quod si dicis: Quis est ille qui docuit regem impium et alienigenam agnoscere Filium Dei?, ille profecto est qui ostenderat illi verissimam statue visionem et qui docuit Balaam dicere de eodem Christo: "Orietur stella ex Iacob et exurget homo de Israel". "Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus celi quasi Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum, et dedit potestatem et honorem et regnum et omnes populi tribus et lingue ipsi servient: potestas eius, potestas eterna que non auferetur, et regnum eius quod non corrumpetur". Et in fine visionis: "Regnum et potestas et magnitudo regni, que est subter omne celum detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient". [p. 46]

Quis est iste tam magnus et tam sublimis, qui pervenit usque ad antiquum dierum, nisi Christus, qui venturus est ad faciendum iudicium in gloria Patris sui, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem, quasi enim ei usque ad antiquum dierum pervenire est in presentia eorum qui contempserunt eum usque ad paterne glorie celsitudinem sublimari? Sane hi qui offerunt illum in conspectu eius superne virtutes sunt et angelice potestates, que ei in conspectu Dei Patris et totius multitudinis exhibendo reverentie famulatum dignum esse cum gloria et honore ostendent. Unde et promissum sibi a Patre regnum recepturus asseritur circa finem mundi, dicente Apostolo: "Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis" Erit autem regnum eius non super filios huius mundi, sed super populum sanctorum qui simul regnaturus est cum eo, dicente in eadem visione angelo Danieli: "Regnum autem et potestas et magnitudo regni que est subter omne celum dabitur populo sanctorum Altissimi, cuius regnum regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient". "Septuaginta ebdomade abbreviate sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prevaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadvertite: Ab exitu sermonis ut [p. 47] iterum edificetur Ierusalem usque ad Christum ducem, ebdomade septem et ebdomade sexaginta due erunt, et rursum edificabitur platea et muri in angustia temporum. Et post ebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio:

confirmabit autem pactum multis ebdomada una, et in dimidio ebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolatio nis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio".

Sermo egressus est a rege Artarserse, postulante hoc Neemia, ut liceret populo Iudeorum edificare iterum muros Ierusalem. Ab illo ergo anno usque ad adventum Domini fuere ebdomade septem et sexaginta due, idest simul sexaginta novem. Sunt autem he [p. 48] ebdomade annorum, non dierum, deputatis singulis ebdomadis septem annis. Quod autem distinguit inter septem ebdomadas et sexaginta duas, ideo factum puto quia fortassis infra septem ebdomadas edificata est civitas Ierusalem in angustia temporum et exinde post ebdomadas sexaginta duas, idest post annos quadringentos triginta quattuor occisus est Christus. Ex qua videlicet occisione factum est ut populos Israel non esset populus eius, pro eo scilicet quod negavit illum in conspectu Pilati, dicens: "Nos non habemus regem nisi Cesarem". Inde est quod, effectus cecus secundum maiorem sui partem, recepturus est Antichristum, dicente Domino: "Ego veni in nomine Patris mei et non recepistis me; si alius venerit in nomine suo, ipsum recipietis". Et in subiecto capitulo: "Filia prevaricatorum populi tui extollentur, ut impleant visionem, et corruent". Igitur Antichristus, qui dicitur hic dux venturus assumens prevaricatores Iudeorum adherentes sibi, congregabit eos in Ierusalem, iubens eos servare legem Moysi, atque hoc modo populus Iudeorum dissipaturus est civitatem et sanctuarium, hoc est Ecclesiam Christi cum venturo duce; erit autem "finis eius vastitas, et post finem belli statuta desolatio", quia, fugato Deo et populo fideli, non erit qui audeat manifeste invocare nomen Domini cunctis diebus quibus regnaturus est super terram. Qualiter autem istud fiat, demonstratur in sequenti cum [p. 49] dicitur: "Confirmabit autem pactum multis ebdomada una", quia cum multis componet in frude per septempnium ut possit destruere sanctam Ecclesiam, cunctis auxiliis destitutam; "et in dimidio ebdomadis", hoc est completis tribus annis et dimidio, "deficiet hostia et sacrificium, et in templo erit abominatio desolationis", illa utique quam ostendit Apostolus cum dicit: "Revelabitur filius iniquitatis qui extollitur et adversatur supra id quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus". Et quod sequitur: "Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio", non est intelligendum "usque ad consummationem et finem seculi", sed usque ad finem illius temporis in quo regnaturus est Antichristus.

"Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside" et cetera. Et infra "Filia regis austri veniet ad regem aquilonis facere amicitiam, [p. 50] et non optinebit fortitudinem brachii nec stabit semen eius, et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam adolescentes eius, et qui confortabant eam in temporibus. Et stabit de germine radicum eius plantatio, et veniet cum exercitu et ingredietur provinciam regis aquilonis et abutetur eis et obtinebit. Insuper et deos eorum et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri captiva ducet in Egiptum, ipse prevalebit adversus regem aquilonis et intrabit in regnum rex austri". Et paulo post: "Convertetur rex aquilonis et preparabit multitudinem multo maiorem quam prius, et in finem temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno et opibus nimis. Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem austri, filii quoque prevaricatorum populi tui extollentur,

ut impleant visionem, et corruent". Dicite nunc, o Iudei, qui usque in presentem diem carnalem defenditis intellectum, qui sunt isti duo reges quorum unus qui austri dicitur bonus est, alter qui aquilonis malus, qui incipientes confligere a tempore Alexandri usque ad fin